

hypothesim seu conditionem prorsus ineluctabiliter inferentem conditionatum, dantur enim conditiones metaphysice connexæ cum conditionato. Ita hypothetice ineluctabiliter necessarium est me *sedere*, si et *dum* sedeo: Petrum moveri pariter necesse est, si supponatur quod currat. Et similiter adest in igne necessitas hypothetica ineluctabilis ad comburendum, positis omnibus requisitis, si *Deus non faciat miraculum* derogando legibus physicis et retrahendo suum concursum, his enim omnibus suppositis, nulla est potentia, quæ impedire possit combustionem ignis.

Jam prima illa necessitas hypothetica non est absolute ineluctabilis, nec fundare proinde potest metaphysicam certitudinem. Altera quidem ineluctabilis est, et fundare potest metaphysicam, semper tamen ita pendentem ex conditionis illius positione, ut si cui non omnino pateat positam illam conditionem esse, ille metaphysicam certitudinem habere non possit. Itaque si cui constaret omnimoda evidentia, hic et nunc non fieri a Deo miraculum, neque exceptionem in legibus physicis, ille haberet certitudinem metaphysicam hic et nunc insuperabilem, quoniam de facto ponitur conditio talis, qua posita, impediri nequeat conditionatum. Communiter autem cum, accurate perpensis omnibus adjunctis, nulla deprehenditur ratio patrândi miraculi, non adest proprie *positiva* et *omnimoda* evidentia de legum physicarum observantia in particulari. Non enim repugnat, dum a me nulla cernitur ratio, vel levem injiciens suspicionem de miraculo, fieri reapse miraculum ob rationes Deo soli compertas, quæ mihi postea patebunt, ut sæpe contigit in miraculis, quæ narrat historiæ. Sed quoniam stultum est et imprudens absque ulla ratione miracula suspicari, ideo in casibus particularibus, cum nulla suppetit ratio suadens suspensionem aliquam in physicis legibus, prudentissime supponitur nullum fieri miraculum: qua posita conditione, adest certitudo de re non tamen absoluta et metaphysica, sed physica et defectibilis per omnipotentiam Dei.

**Instabis 1.<sup>o</sup>** Necessitas absolute superabilis nomen necessitatis non meretur.

**Resp. nego** assert. Id enim est contra communem modum loquendi omnium. Quam enim, quæso, necessitatem habent

causæ illæ naturales, quæ ab omnibus vocantur necessariae, nisi physicam? Cæterum, ut in probationibus animadvertimus, existimamus necessitatem physice et moraliter insuperabilem, seu impossibilitatem physicam et moralem sufficiens suppeditare certitudinis fundamentum.

**Inst. 2.<sup>o</sup>** Atqui certitudo physica et moralis supponunt necessitatem prorsus hic et nunc ineluctabilem. Nam physice aut moraliter, ut dicunt, certus esse non possum, nisi constet mihi *leges*, sive *physicas* sive *morales*, hic et nunc exceptionem minime passas esse. Atqui si *leges* ejusmodi servatæ sunt, jam omnimoda necessitate verum est enuntiabile. Ergo incassum fingitur, saltem ad praxim quod spectat, necessitas absolute fallibilis.

**Resp. dist.** Major. Nisi constet id evidentia præcise metaphysica, *nego*; minor, *transeat*.

Et *contradistincta* Minor, *nego* conseq. Etenim metaphysice non repugnat, imo evidenter possibile est, Deum patrare miracula posse, me prius non monito, et in eo ipso momento, in quo ego non possum ullam deprehendere rationem patrândi miraculum. Quis enim tantopere suo fidat ingenio, ut scire se posse existimet, quandonam oporteat, et quandonam non oporteat Deum omnipotentiam suam extra consuetum ordinem eventu aliquo manifestare?

**Objicies 2.<sup>o</sup>** Certitudo esse nequit, ubi non plene dubium omnisque formido non excluditur. Atqui in certitudine physica et morali, prout vulgo admittuntur, nequit omnis formido excludi. Nam cum harum fundamentum absolute deficere possit, semper relinquetur locus formidini, aut saltem suspicioni alicui de opposito.

**Resp. nego** Minor. Et *distingo* probationem ejusdem: relinquetur locus formidini aut saltem suspicioni imprudentissimæ, *transeat*, prudenti, *nego*.

Formidare enim aut etiam suspicari de falsitate cognitionis, quando, mature perpensis adjunctis, nulla deprehendi potest ratio exceptionis a legibus constantissimis, non animi prudentis, sed aut insanæ aut absurdæ mentis indicium est.

**Instabis.** Ut sit vera certitudo, debet excludere etiam imprudentem formidinem. Nam certitudo immobilitatem cognitionis firmæque adhesionis importat. Atqui ubi est locus for-

midini, licet imprudenti, non adest hujusmodi immobilitas. Ergo.

*Resp. neg.* assert. Ad probat., *dist* Major. Certitudo importat immobilitatem adhæisionis, quæ nequeat saltem prudenter turbari, *conc.*; quæ ne imprudenter quidem turbari possit, *nego*.

*Objic. 3.<sup>o</sup>* Vis ac processus certitudinis, quæ physica dicitur et moralis ad hanc propositionem velut ad formulam generalem revocatur: *Hoc ita est, si nulla fiat exceptio in legibus sive physicis sive moralibus*: v. g. *Hic ignis nunc comburet, nisi fiat miraculum*; vel: *Existit Constantinopolis, nisi testes id narrantes, per summam legum moralium violationem, mentiti sint*. Et ob eam causam *hypothetica* vocantur prædictæ certitudines. Atqui hæ propositiones metaphysica gaudent certitudine. Ergo.

*Resp. neg.* Major quoad utramque partem. Nam vis ac tendentia physicæ ac moralis certitudinis non est illa, quæ in objecta propositione exprimitur, sed hæc: *Quoniam leges physicæ aut morales constantes sunt, et nulla hic et nunc apparet ratio prudenter formidandi exceptionem, hoc ita est*, v. g.: *Hic ignis comburet, vel: Constantinopolis existit*.

*Objic. 4.<sup>o</sup>* Propositiones certæ certitudine physica vel morali æquivalent conclusioni fluenti ex duabus præmissis, quarum Major hæc est: *Res ita est, si nulla fiat in legibus physicis et moralibus exceptio*: Minor autem hæc: *Atqui hic et nunc nulla fit ejusmodi exceptio*. Jam vero Major illa certa quidem est. Minor vero tantum probabilis est aut probabilissima. Conclusio itaque exinde consequens pejorem sequatur partem, oportet, ac proinde certa non est, sed tantum probabilissima.

*Resp. neg.* Major. Nam assensus physice aut moraliter certus non ponitur vi illius discursus, sed immediate, ut nuper dicebamus, hoc pacto: *Quoniam leges naturæ ac morales sunt constantes, nec violari possunt, nisi illæ quidem per miraculum, hæ autem per abnormem abusum libertatis, in hoc autem casu particulari, suspensis omnibus adjunctis, nulla delegi potest ratio prudenter timendi exceptionem, res ita est*. Unde quod nulla hic et nunc detur exceptio, non assumitur tamquam ratio ad concludendum, sed simpliciter supponitur tamquam conditio ante assensum.

*Objic. 5.<sup>o</sup>* Ea specificè non differunt, quæ solum extrinsece inter se discriminantur. Atqui certitudo metaphysica, physica et moralis solum extrinsece discriminantur, nempe per ordinem ad objectum formale, seu motivum assensus. Ergo...

*Resp. neg.* Minor. Nam licet a nobis per ordinem ad aliquid extrinsecum declaretur distinctio trium istarum certitudinum, at illæ non extrinsece dumtaxat distinguuntur, sed secundum intrinsecam perfectionem modo jam explicato (1). Cum enim objectum formale seu motivum influat in assensum, necesse est perfectionem entitativam actus certi proportionalem esse ipsi objecto (2).

*Objic. 6.<sup>o</sup>* Negationes ac privationes specie differre nequeunt. Atqui certitudo negationem importat, videlicet impossibilitatem oppositi. Ergo....

*Resp. dist.* Maj.: secundum se, *trans.*; ratione sui oppositi, *neg.* Sic cæcitas et surditas specificè discrepant, non secundum solam rationem negationis, sed secundum positivas formas, quibus privant (3).

*Dist.* etiam *Minor*. Certitudo solam negationem importat, *neg.*; negationem simul cum positiva perfectione cognitionis, natura sua infallibilis, *conc.* (4).

### CAPUT III.

#### DE EVIDENTIA.

Quæstio circa evidentiam intime conserta est cum quæstione circa certitudinem. Quamquam enim possit esse certitudo absque evidentia, ut accidit in actu Fidei supernaturalis, quæ obscuritatem habet (5); non tamen potest e converso evidentia esse absque certitudine. Atque hæc causa fuit, cur ethnici Philosophi, qui Fidei divinæ notitia destituebantur, non aliam certitudinem agnoscerent præter eam, quæ cognitionum

Quanta  
connexio eviden-  
tiæ cum  
certitudine.

(1) Superius, n. 65.

(2) Vide supra n. 55.

(3) Confr. S. Thom. 1 p. q. 11, art. 4 ad 1.<sup>um</sup>

(4) Vide superius dicta, n. 62.

(5) Vide supra n. 53.

evidentium patrimonium est. Unde quemcumque actum obscurum atque invidentem, eo ipso incertum, ideoque natura sua fallibilem, existimabant. Operæ pretium itaque est certitudinis tractationi disputationem de evidentia subnectere.

## ARTICULUS I.

## Quid et quotuplex evidentia.

Quid evidentia generatim.

67. Evidentiæ nomine, cum agitur de cognitionibus nostris, omnes intelligunt claritatem et perspicuitatem, qua objectum menti contuendum proponitur ab eaque perspicitur (1). Habetque vox metaphoram a visu desumptam. Quemadmodum enim inter cæteras sensuum cognitiones clarissima et perspicacissima est visio; ita etiam *evidentia* ad cognitiones intellectuales designandas translata, illis dumtaxat tribuitur, quæ perspicua claritate velut totidem *visiones* refulgent (2). Etenim, docente Angelico, *de aliquo nomine dupliciter convenit loqui: uno modo secundum primam ejus impositionem, alio modo secundum usum nominis. Sicut patet in nomine visionis, quod primo impositum est ad significandum actum sensus visus; sed propter dignitatem et certitudinem hujus sensus extensum est hoc nomen, secundum usum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum, dicimus enim: Vide, quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum* (3). *Et ulterius etiam ad cognitionem intellectus, secundum illud Matt. cap. V, v. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (4).

Evidentia objecti et cognitionis

Cæterum non solum *cognitio*, sed *objectum* etiam cognitionis denominari solet *evidens*, ut constat ex communi omnium sensu.

(1) Unde Tullius: *Nihil, inquit, clarius evāγγελα, ut græci, perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus.* (Academ. quæst. lib. 4, n. VI, 17.)

(2) Cfr. S. Th. 3.<sup>a</sup> dist. 23, q. 2, art. 2, solut. 1.<sup>a</sup>; dist. 24, q. 1, a. 2, solut. 1.<sup>a</sup>; 2.<sup>a</sup> *Contra Gent.* c. 53. Vide etiam S. August. lib. 11 *de Trinit.* cap. 1.

(3) Ex opposita ratione, quia fidei cognitio habet obscuritatem, solet *auditioni* comparari. Vide S. Th. loc. cit.

(4) 1 p. q. 67, art. 1.

Quid autem sit, detractis metaphoris, *perspicuitas* et *claritas* hæc, quæ nomine venit *evidentiæ*, facilius forte sentitur, quam explicatur. Ut tamen res aliquo modo declararetur, exordium est ab evidentia objecti seu *objectiva*. Et quoniam objectum *evidens* ita se habet respectu intellectus sicut *visibile* respectu visus, ex analogia visionis ratio desumenda est evidentia.

Incipit declaratio evidentia: objectivæ per analogiam ad objectum clare visibile.

*Visibile* igitur objectum non est, nisi et lumine perfusum sit, et in justa proportionataque distantia positum, ut videri distincte possit; nihil quippe videtur in tenebris; neque etiam, vel lucente sole meridiano, quæ nimis distant, perspicere queunt. Objectum autem lumine collustratum et visivæ potentia proportionatum secundum distantiam clare *visibile* est, quantum est de se, ac porro videbitur, si oculus in ipsum intendatur. Unde clare *visibile* redditur objectum aliquod ex lumine ac proportionata distantia. *Claritas*, inquit S. Thomas, *vel limpiditas visionis contingit ex tribus: primo ex efficacia virtutis visivæ, quia qui sunt fortioris visus, magis limpidè vident. Secundo ex claritate lucis, sub qua claritate visibile videtur: sicut clarius videtur aliquid in lumine solis, quam in lumine lune. Tertio ex comparatione visibilis, vel ejus in quo aliquid videtur, ad videntem: quia quod a remotiori videtur, minus clare videtur* (1).

Quid lumen respectu intellectus.

Jam si hæc ad visionem intellectivam applicemus, notandum in primis est, quod *lumen* secundum quod ad *intellectum* pertinet, nihil est aliud, quam quædam manifestatio veritatis (2), dicitur enim *lux in spiritualibus, quod ita se habet ad manifestationem intellectivam, sicut se habet lux corporalis ad manifestationem sensitivam* (3). Quo sensu motiva etiam objectiva assensus evidentis, et argumenta, quæ rem aliquam intellectui patefaciunt, *lumen* dici possunt ac solent. Sæpissime vero *lumen intellectuale* sumitur potius subjective nempe pro aliquo manifestativo subjective, pro aliqua forma, quæ se tenet non ex parte objecti, sed ex parte ipsius intellectus, pro ipsa nimirum virtute atque efficacia cognoscitiva mentis,

(1) 3.<sup>a</sup> dist. 14, q. 1, a. 2, solut. 3.<sup>a</sup>; et art. 3, solut. 2.<sup>a</sup>

(2) S. Th. 1, p. q. 106, a. 1. Cfr. 1, p. p. 67, a. 1. *Commentar. in lib. de Causis*, lect. 6, med.

(3) S. Th. 2.<sup>a</sup> dist. 13, q. 1, a. 2. Cfr. 2.<sup>a</sup> *Contra Gent.* c. 53.

sive naturali et ingenita, sive supernaturali et superaddita. Et sic vulgo solemus dicere: *Lumen rationis, lumen intellectus agentis* (1), *lumen fidei, lumen gloriæ* (2).

Quid distantia  
respectu  
intellectus

Deinde distantia justa inter objectum et potentiam, respectu intellectus, aliud esse non potest quam talis proportio et applicatio objecti, ut mens per lumen ac virtutem suam cognoscitivam perspicere illud in se ipso possit, ac debeat, si aciem suam eo convertat. Quæ cum ita sint

Definitio  
evidentis  
objecti

68. Illud dicendum est *objectum evidens*, quod est conspicuum et manifestum intellectui: illud porro est conspicuum et manifestum, quod ita applicatum et proportionatum est capacitati ac lumeni mentis, ut determinare per se ipsum valeat assensum illius. Et proinde evidentia est talis applicatio objecti et proportio cum capacitate intellectiva, ut illud sufficiat se solo, si acies mentis in ipsum dirigatur, firmum assensum determinare.

Probatur autem hæc definitio 1.<sup>o</sup> ex analogia cum visione. Nam ubicumque adest copia lucis objectum collustrantis in proportionata distantia positum, oculus ad hujus veracem perceptionem determinatur, et sic dicitur objectum clare *visibile*. Ergo tunc quoque dicendum est *objectum evidens*, cum non excedit capacitatem intellectus, sed ita hujus virtuti attemperatur, ut per *seipsum* moveat ac determinet assensum. Illa nimirum *videri dicuntur*, inquit Angelicus, *quæ per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui assensum* (3).

Comparatio  
objecti evidentis  
et credibili

Probatur 2.<sup>o</sup> ex oppositione objecti *evidentis* cum *credibili* dumtaxat et *opinabili*, quæ obscura sunt atque *inevidentia*; et non ob aliud, nisi quia deest illis ea sufficiens applicatio

(1) Nomine *intellectus agentis* venit virtus quedam productiva specierum intelligibilium, quibus informata et fecundata mens objecta cognoscit: de quo in Psychologia.

(2) Vide S. Thomam 1. p. q. 1, a. 5; q. 12, a. 2; 3.<sup>o</sup> *Contra Gent.* c. 53 vers. fin.; lib. 3.<sup>o</sup> de *Anima* lect. 10, initio ex Aristot. ib. text. Comm. 18; 3.<sup>o</sup> dist. 23, q. 2, a. 2. sol. 1.<sup>o</sup> et 3.<sup>o</sup>; dist. 24, q. 1, a. 2. solut. 1.<sup>o</sup>; *De Verit.* quest. 11, a. 1; quest. 12 art. 1; et quest. 14 art. 9, in corp. et ad 2.<sup>am</sup>; *De sens. et sensat.* initio; *de spirit. creat.* art. 10; *Opusc. de Trinit. sup. Bœt.* quest. 1, art. 1.

(3) S. Th. 2. 2. quest. 4. Cfr. *de Verit.* q. 14, de *Fide* art. 1.

et commensuratio cum facultate cognoscitiva, qua perscipi in se possint, firmumque assensum determinare. Objectum enim credibile non *coram adest*, ut ita dicam, sed procul distat, ut non possit per seipsum movere ac determinare intellectum, ac proinde non inspicitur in seipso, sed solum affirmatur ob testimonium et auctoritatem alterius, accedente etiam, saltem plerumque, liberæ voluntatis imperio ut ponatur assensus: quæ doctrina est Sanctorum Augustini ac Thomæ Aquinatis.

*Secundum Augustinum in libro de Videndo Deum* (1) creduntur illa, quæ absunt a sensibus Nostris, si videtur idoneum testimonium, quod eis perhibetur: videntur autem quæ præsto sunt vel animi vel corporis sensibus. *Quæ quidem differentia evidens est in iis, quæ præsto sunt corporeis sensibus, in quibus manifestum est, quid præsto sit corporis sensibus, et quid non. Sed in sensibus animi, cum quid præsto esse dicatur, magis laetel, illa tamen præsto esse dicuntur intellectui, quæ capacitatem ejus non excedunt, ut intuitus intellectus in eis figuratur: talibus enim aliquis assentiri non propter testimonium alienum, sed propter testimonium proprii intellectus (nimirum quia ipse intellectus videt, ac per se intuetur). Illa vero, quæ facultatem intellectus excedunt, absentia esse dicuntur a sensibus animi, unde intellectus in eis figi non potest: unde eis non possumus assentire propter proprium testimonium, sed propter testimonium alienum. Et hæc proprie credita dicuntur* (2).

Oppositio  
objecti  
opinabilis et  
evidentis.

Simili modo objectum *opinabile*, licet percipiatur ac teneatur ab intellectu ex propriis rationibus, et non solum ex aliorum testimonio, sicut pure *credibile*, nihilominus ideo est *opinabile* atque *inevidens*, quia non est satis attemperatum et commensuratum intellectivo lumeni, ut illud determinare per se solum ad assensum valeat. Quamobrem sicut objecta procul posita non satis discernuntur, nec possunt per se satis determinare visionem nec assensum intellectus, ut quid vel qualia sint, definiri queat; ita etiam *opinabilia*, utpote

(1) Epist. 147 (al 112) cap. 2. et 3.

(2) S. Th. *de Verit.* q. 14, a. 9. Cfr. 3.<sup>o</sup> dist. 24; q. 1, a. 2. solut. 1.<sup>o</sup> in corp. et sol. 3.<sup>o</sup> ad 4.<sup>am</sup>

nimis a captu et intelligentia remota, nequeunt per se sola movere et extorquere assensum, nisi accedat voluntatis imperium. Ergo e contrario ideo dicendum est objectum evidens, quia sufficit se solo determinare intellectum ad iudicium, ita ut assensus gignatur ex solis meritis et objectivo influxu illius absque ullo voluntatis impulso, ideoque recte explicatur evidentia per aptitudinem et capacitatem objecti ad determinandum et extorquendum assensum intellectus.

Confirmat totam hanc doctrinam Angelicus his verbis: *Determinatur intellectus ad unum tripliciter... In intellectu enim principiorum causatur determinatio ex hoc, quod aliquid per lumen intellectus sufficienter inspicitur per ipsum potest. In scientia vero conclusionum causatur determinatio ex hoc, quod conclusio secundum actum rationis in principia per se visa resolvitur. In fide vero (idem dic de opinione) ex hoc quod voluntas intellectui imperat. Sed quia voluntas hoc modo non determinat intellectum; ut faciat inspicere quæ creduntur, sicut inspicuntur principia per se nota, vel quæ in ipsa resolvuntur, sed hoc modo ut intellectus firmiter adhaereat; ideo certitudo, quæ est in scientia et in intellectu, est ex ipsa evidentia eorum, quæ certa esse dicuntur: certitudo autem fidei ex firma adhesionem ad id, quod creditur (1). Et alibi: Assentit intellectus alicui dupliciter: uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est vel per se ipsum cognitum; sicut patet in principis primis, quorum est intellectus, vel per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam aliam. Et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. Illa autem videri dicuntur, quæ per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem (2).*

Maneat ergo evidentiam in tali objecti proportionem cum capacitate intellectiva consistere, ut possit inspicere in seipso

(1) 3.<sup>a</sup> dist. 23. q. 2, a. 2. solut. 3.<sup>a</sup> Cfr. ibid. ad 2.<sup>um</sup> et solut. 1.<sup>a</sup> et loc. sup. cit.

(2) S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. Cfr. de Verit. q. 14. a. 1.

et cognosci, et sic assensum mentis determinare per seipsum (1).

69. Ex quo sequi videtur evidentiam in objecto præcipue desumi per ordinem ad intellectum. Et ratio est, quia evidentia enascitur ex lumine, lumen autem in cognitionibus et objectis intellectualibus tandem ad virtutem intellectus revocatur, illa enim est, quæ abstrahendo species a phantasmatibus objecta reddit intelligibilia in actu, si sermo sit de enuntiabilibus, quæ immediatis iudiciis exprimuntur. Conclusiones vero evidentes illæ sunt, quæ ab intellectu per applicationem ac lumen principiorum videri possunt. Unde videtur sequi omnem tandem evidentiam objectivam per ordinem ad virtutem ac lumen intellectuale dici (2). Sicut etiam objectum, supposito lumine, dicitur clare visibile per ordinem ad visivam virtutem ac perspicacitatem, quæ objectum illud in se distincte attingere valeat. Et hæc videtur etiam causa, cur unum idemque objectum, quod uni est obscurum et invidens, alteri sit evidens, ob potentiorum nempe virtutem intellectus, sicut unum idemque objectum visibile sub eodem lumine externo, ab aliis clare videtur, ab aliis vero non, pro varietate visivæ virtutis.

70. Explicata ratione evidentie objectivæ, jam nullus est negotii evidentiam cognitionis declarare. Nam cognitio evidens alia esse non potest, nisi ea, quæ pariter ab objecto evidenti, ad illudque terminatur; vel cognitio, qua objectum ita in se ipso inspicitur, ut ad illius assensum mens non aliunde determinetur. Et quoniam cognitio vel est simpliciter apprehensiva vel iudicativa, illa est apprehensio evidens, quæ ita repræsentat terminos alicujus enuntiabilis, ut illico pronuntiari possit absque alio motivo iudicium certum de illorum identitate ac discrepantia; illud vero est iudicium evidens, quod aut ex sola terminorum apprehensione determinatur,

(1) Hæc est etiam mens Eximii Doctoris, ut colligitur ex his verbis: *Intellectus non determinatur ex necessitate ad iudicium, nisi media evidentia rei cognita, ut experientia ipsa docet et ratio; quia absque evidentia objectum non perfecte applicatur potentie, ut eam ad se ex necessitate trahat ac determinet (disp. 7. Metaph. sect. 2, n. 6).*

(2) Vide S. Thom., de Verit. quest. 11, art. 1.<sup>o</sup>, 3.<sup>o</sup> dist. 23 q. 2, a. 2. solut. 1.

Evidentia  
evidentia  
in objecto  
resultat.

Evidentia  
subjectiva seu  
cognitionis.

aut ex necessaria connexione cum aliis iudiciis evidentibus, nimirum prout iudicium sit immediatum vel mediatum.

71. Quæ cum ita sint, vides jam discrimen inter certitudinem et evidentiam. Nam certitudo ex suo conceptu importat firmitatem atque infallibilitatem vel necessitatem, evidentia vero claritatem: quæ duo diversa plane sunt, ut per se patet. Et sic multa sunt objecta, in se quidem certa, id est necessaria, et nihilominus obscura respectu intellectus nostri, et actus etiam fidei divinæ obscurissimi sunt, at simul obscuri, quemadmodum docent Theologi.

Discrimen inter  
evidentiam et  
certitudinem.

Quid  
prius evidens  
dicatur,  
objectum ne  
an cognitio.

72. SCHOLION. Solet a quibusdam disputari, quid prius evidens dicatur, objectumne an cognitio (1). Ego rem breviter sic expedio. Quod attinet denominationem ipsam *evidentis*, ea videtur derivari ex actu cognitionis in objectum, quod non appellatur evidens nisi quia *videtur* seu in se perspicitur, aut certe *videri* potest. Nihilominus res per illam denominationem significata, perspicuitas nimirum adest in objecto antecedenter ad actum cognitionis evidentis: non enim objectum in ratione luminosi vel perspicui constituitur per ordinem ad evidentem cognitionem, sed per ordinem ad intellectum, qui abstrahendo species intelligibiles a phantasmatis reddit objecta clare intelligibilia, ex quo deinde consequitur, ut actu clare intelligantur. Nimirum si vera sunt, quæ hactenus exposuimus, illud quod correspondet in intellectu lumini corporeo, objecta illustrant, clareque *visibilia* reddenti, videtur se tenere ex parte virtutis intellectualis, quæ spirituali suo lumine illuminat objecta, et sic ante actualem cognitionem evidentem jam præsupponuntur illa perspicua et luminosa, seu evidentia (2). Brevi, objecta quædam ex sua natura sunt proportionata, ut ab intellectu agente abstrahantur ex illis species vividiores, quibus abstractis, objecta illa *applicata* sunt

(1) Cfr. quæ erudite disputat in hanc rem cl. P. Mendive, *Elementos de Logica, Segunda parte*, cap. 3, art. 4, n. 568 seqq. Vide Sylvest. Mauri, *Theolog.* tom. 2. quæst. 127; Arriaga, *Logica*, disp. 16, n. 59; Izquierdo, *Phar. scient.*, disp. 4, quæst. 2, n. 37; Ulloa, *de Anima*, disp. 2, cap. 8, n. 105; Anton. Mayr., *Philos. peripat.*, part. 1, disp. 6, q. 2, art. 1, n. 965, aliosque ab eodem P. Mendive laudatos.

(2) Vide S. Thom., *de Verit.*, q. 11. a. 1.

jam intellectui possibili (nimirum jam evidentia et luminosa sunt), ut *clare* illa percipiuntur.

73. Evidentia dispescitur in *immediatam* et *mediatam*. Illa inest in principiis per se notis, hæc in conclusionibus. Principia namque per se nota circa tale versantur objectum, quod statim lumine intellectus agentis fiat intelligibile, ac firmissimum determinet assensum: in conclusionibus autem objectum ipsum ratione sui manifestum ac proportionatum non est, sed vi argumenti aut motivi alias clare noti redditur aptum, ut constans certumque iudicium extorqueat (1). Quare principia per se nota se habent tamquam corpora luminosa, conclusiones vero mediate evidentes tamquam corpora lumine alieno illustrata.

Quotuplex  
evidentia:  
immediata et  
mediata:

Secundo dividitur evidentia in *metaphysicam*, *physicam* et *moraalem*. Metaphysica est apparentia seu perspicuitas enuntiabilium innixa fundamentis metaphysicis, id est, essentialibus relationibus subjecti et prædicati; qualis est v. g. evidentia horum iudiciorum: *Totum est majus sua parte: Homo est animal*. Physica est perspicuitas enuntiabilium innixa fundamentis physicis; talis est ea, quæ inest in his iudiciis: *Video banc chartam; Petrus currit; Ubi fumus egreditur, est ignis*. Moralis evidentia duplici sensu sumi potest: a) pro perspicuitate enuntiabilium, innixa fundamentis moralibus, quæ licet absolute pendent a libertate humana, morali tamen gaudent necessitate atque infallibilitate: et ejusmodi evidentia certus es de existentia Constantinopoleos, si eam urbem non vidisti: ita etiam persuasum habes fore, ut probus rex non patiatur fame perire matrem suam. ß) Sumitur præterea evidentia moralis pro ea enuntiabilis perspicuitate ac proportionem cum intellectu, quæ omnem quidem prudentem formidinem excutere valeat, non vero imprudentem, quacumque tandem gaudeat objectum in se necessitate, sive metaphysica, sive physica, sive morali (2). Hanc si quis renuat appellare

metaphysica,  
physica et  
moralis:

(1) Cfr. S. Th. 3.<sup>a</sup> dist. 23, q. 2. a. 2. sol. 1; quæst. 24, q. 1. a. 2; *de Verit.*, q. 11. a. 3. et q. 14. a. 1.

(2) Vide Cardin. Ptolom., *Phil. mentis et sensuum*, dissert. 35 *Logico Physica*, sect. 3, n. 4; Izquierdo, *Phar. scient.*, disp. 4, quæst. 1, n. 26; Cfr. Ant. Mayr., *Philos. peripat.* Part. 1, disp. 6, quæst. 2, art. 1, n. 966. Cfr. superius dicta n. 50 de certitudine morali.

evidentiam, contendatque esse meram certitudinem absque stricta et propria evidentiâ; quæstio solum erit de nomine.

intrinseca et  
extrinseca:

Dividitur præterea evidentiâ in *intrinsecam* et *extrinsecam*, seu in *attestante*. Evidentiâ extrinseca seu in attestante est illa, quæ fundatur in alterius testimonio evidenter noto et connexo cum rei veritate. Intrinseca vero est quæcumque alia, quæ nimirum fundatur in aliquo motivo objectivo (1).

subjectiva  
seu formalis  
et objectiva:

Rursus dividitur in *objectivam* et *subjectivam* seu *formalem*. Objectiva est evidentiâ objecti, et subjectiva cognitionis. Porro subjectiva proprie reperitur in actu iudicii ex communi usu loquendi (2); quamquam S. Thomas etiam apprehensionem simpliciter videtur eandem tribuere (3).

veritatis et  
credibilitatis:

Tandem omissis aliis divisionibus, quæ declaratione non egent, evidentiâ dispescitur in evidentiâ *veritatis* et evidentiâ *credibilitatis*, cujus partitionis haud exiguus est usus in Theologia. Evidentiâ veritatis, ut ipsum nomen indicat, facit objectum ipsum *evidenter verum*; et evidentiâ credibilitatis facit objectum *evidenter credibile*; non est autem idem credibile ac verum; multa enim falsa sunt credibilia, quin et evidenter credibilia, assensu nimirum opinativo. Itaque non est confundenda hæc divisio evidentiæ cum illa alia in *intrinsecam* et *extrinsecam*. Etenim evidentiâ veritatis potest esse vel intrinseca vel extrinseca; evidentiâ vero credibilitatis stare potest non solum cum obscuritate veritatis, ut accidit in Fide divina; quæ juxta communissimam Theologorum doctrinam *evidenter credibilis* est, non vero *evidenter vera*; sed etiam cum probabilitate atque adeo cum falsitate. Evidentiâ quippe credibilitatis non aliud importat, nisi quod evidens sit iudicium, quo iudicamus rem aliquam credi posse aut debere.

consequentie  
et consequentis:

Illa quoque consideratu digna est partitio, qua evidentiâ distribuitur in evidentiâ *illationis* seu *consequentie*, et consequentis. Evidentiâ consequentie adest, cum ex aliquo antecedente vel conditione manifeste fluit aliud. Evidentiâ vero consequentis adest, cum id quod ex alio fluit vel colligitur,

(1) Cfr. de hac divisione Izquierdo, Op. cit. disp. 4, quæst. 2, n. 35 seqq.

(2) Id. ibid. n. 20.

(3) 3.<sup>a</sup> Dist. 24, quæst. 1, a. 2.

est in se ipso evidens. Differunt hæc duæ, quia evidentiâ illationis vel consequentiæ, præscindit ab evidentiâ antecedentis ac consequentis, et potest esse etiam cum antecedente ac consequente probabilibus, atque adeo etiam falsis: ut si ita inferas: *Homo est lapis: ergo nequit cogitare*. E converso evidentiâ consequentis præscindit ab evidentiâ nexus et consequentiæ, ut si sic concludas: *Homo est substantia. Ergo est animal rationale*.

Exposita jam evidentiæ ratione, restat ut in ejus proprietates inquireamus. Omnes tamen persequi necesse non est, ac nominatim capacitatem gradus diversos recipiendi. Ex iis enim quæ in simili argumento de certitudine diximus, facile patet evidentiâ quoque gradibus augeri minuique posse. Itaque duas tantum circa evidentiæ proprietates controversias attingam; alteram, quæ ipsius cum veritate connexionem, alteram, quæ virtutem ejusdem ad extorquendum ab animo assensum respicit.

## ARTICULUS II.

Quæ et quanta sit evidentiæ connexio cum veritate.

### 74. PROPOSITIO 1.<sup>a</sup> Quod evidens est, verum est.

Propositio intelligi potest tum de objectiva, tum de subjectiva; et de utraque simili modo.

**Probatur 1.<sup>o</sup>** Objectum evidens in tantum esset falsum, in quantum dum rite proportionatum atque applicatum est potentiæ, aliter appareret ac est in se, vel generaret cognitionem sibi difformem. Cognitionis vero evidens in tantum esset falsa, in quantum objectum sibi maxime attemperatum applicatumque perperam repræsentaret. Atqui id manifeste absurdum est, et contradictorium. Idem enim est, ac ponere facultatem ineptam ad objectum sibi maxime proprium attingendum.

**Prob. 2.<sup>o</sup>** Ex sensu communi omnium. Omnes enim cum aliquid tamquam verum atque indubitabile haberi volunt, evidentiâ invocant, tamquam tutissimam rationem veritatis.

**Prob. 3.<sup>o</sup>** Si quidquid evidens est, verum non est, lata via scepticismo sternitur. Tunc enim de evidentissima quaque

propositione rationabiliter formidari poterit, neque ulla prorsus scientifica certitudo secundum prudentiæ dictamen consistet.

Itaque infallibilis veritas evidentiæ intime consorta est cum infallibilitate facultatum nostrarum cognoscitivarum, seu potius in idem videtur incidere, ac ipsa earum veracitas aut aptitudo naturalis ad rite percipienda propria objecta.

75. PROPOSITIO 2.<sup>a</sup> Principium hoc evidentiæ, quod in præcedenti assertione stabilitum est, evidentissimum est atque indemonstrabile.

Prima pars hujus propositionis est contra clarissimum Jacobum Balmesium, qui quamquam fateatur, quidquid evidens est, verissimum quoque esse ita, ut, hoc principio non admissio, ipsum contradictionis principium ruat (1) tamen ex altera parte contendit evidens non esse ejusmodi principium (2).

Prob. 1.<sup>o</sup> Ex argumentis nuper adductis pro prima propositione, quæ videtur rem manifeste conficere.

2.<sup>o</sup> Evidenter absurda est hæc propositio: Evidentia secum patitur falsitatem: Ergo evidens est ipsius contradictoria: Evidentia repugnat falsitati.

Consequentia patet.

Antecedens probatur. Illud est evidenter absurdum, ex quo evidens absurdum sequitur. Ex vero enim falsum sequi non potest. Atqui posita indifferentia evidentiæ ad falsitatem, perit omnis cognitio certa, atque adeo ipsa facultas cogitandi et ratiocinandi; quod absurdissimum est. Ergo.

Secunda pars: Omnis demonstratio supponit principia certa atque evidentiæ, et conclusionem habet evidenter ex præmissis fluentem. Neque quisquam demonstrationem ullam tamquam veram admittit, nisi quia existimat evidentiæ principia evidentem illationem ad falsam conclusionem adducere non posse. Ergo quæcumque demonstratio principii evidentiæ supponit repugnantiam evidentiæ cum falsitate, quæ proinde indemonstrabilis est (3).

(1) *Filosofia elemental*, lib. 1, cap. 22, n. 223.

(2) *Ibid.*, n. 221 seqq.

(3) Balmes, loc. cit. n. 222.

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

## 76. CONTRA PRIMAM PROPOSITIONEM.

Obijcies 1.<sup>o</sup> Sunt enuntiabilia quædam evidentiæ, quæ vera sunt, supposita conditione aliqua, et falsa secus. Atqui fieri potest, ut quis illam conditionem abesse invincibiliter ignoret. Ergo in eo casu habebitur enuntiabile falsum, quod sit evidens.

Sic cum Tobias loquebatur cum Raphæele, evidens illi erat se videre et alloqui juvenem quemdam, et tamen falsum erat ratione miraculi. Atque idem dic de mysterio Sacrosancto Eucharistiæ.

Resp. *dist.* Major. Et ejusmodi enuntiabilia sunt evidentiæ, supposita illa conditione, *conc.*; illa non supposita, *nego.*

Et concessa Minori, *distinguo* eodem modo consequens.

Eadem esto responsio ad miracula adducta pro rei confirmatione. Evidens enim est physice experientiæ oculorum nostrorum respondere vera et realia corpora, quæ videmur videre, itemque accidentia inesse actu in propriis ipsorum subjectis. Verum in casibus particularibus evidentiæ, quam nobis experientia suppediat, *hypothetica* est, subaudit enim hanc conditionem, quod nimirum nullum fiat miraculum, et stante hujusmodi conditione, deficere nequit. Si vero miraculum adsit et lateat, dicendum est, aut nullam adesse revera evidentiæ, sed tantum apparentem, quæ tamen per accidens fallit, et habetur ut vera, quia ignoratur adesse miraculum; aut, si mavis, concede dari eo in casu evidentiæ, quæ tamen quia physica est, potest per divinam omnipotentiam fallere, licet nequeat naturaliter (1); sicut dictum est certitudinem physicam per miraculum deficere posse, seu actum positum ex motivo legum physicarum posse quandoque falsitate infici, interveniente miraculo.

Obj. 2.<sup>o</sup> Evidens est solem moveri. Id tamen falsum esse docet Astronomia. Ergo..

Resp. *dist.* Major. Evidens est solem moveri motu absoluto ipsius solis, *neg.* motu relativo, *conc.*

Et *contradistincta* Minori, *nego* consequens.

(1) Cfr. Suar., *disp. Met.* 9, sect. 2., n. 7.



Motus absolutus est motus realis et verus alicujus corporis: relativus autem est mutatio positionum ac distantiae corporis alicujus respectu alterius. Quare fieri potest, ut corpus aliquod quiescat absolute, et moveatur relative, si alterum corpus absolute moveatur. Et hoc accidit in solari motu, qui nobis apparet. Evidens est dari inter solem ac terram variationes in mutis relationibus localibus, ideoque evidens est motus relativus solis. Ex evidentiâ vero hujus motus relativi nequit inferri evidenter motus absolutus. Quia eâdem variationes in relationibus localibus existunt, stante terra, et movente se sole ab Oriente versus Occidentem, ac si stante sole, terra moveatur ab Occidente versus Orientem.

Objic. 3.<sup>o</sup> Si baculum sub aqua immergatur, evidens est illud esse fractum. Atqui hæc est mera illusio optica. Ergo...

Resp. *neg.* Major. vel *dist.* Est evidens evidentiâ vera, *neg.*, apparenti, *trans.* Non enim potest esse vere evidens objectum, quod potentiâ non est rite applicatum propter impedimentum aliquod ex parte mediâ interjecti existens. In hac ergo aliisque similibus illusionibus opticis, evidens est tantum *apparentia et veri similitudo*. Evidens porro non est rem semper talem esse, qualis apparet, neque eam, cujus gerit similitudinem.

77. CONTRA ALTERAM PROPOSITIONEM objicit Balmes. Illa est evidens propositio, cujus prædicatum cernitur contineri in idea subjecti. Atqui hæc propositio: *Quod evidens est, verum est*, non est ejusmodi. Ergo evidens non est (1).

Resp. 1.<sup>o</sup> *distinguo* Majorem. Etiam, *conc.*, solum, *neg.* Diminuta enim est illa evidentiâ notio, quæ non convenit evidentiâ physicæ ac morali, sed solum metaphysicæ; nec omni metaphysicæ, sed alicui. Revera in propositionibus negativis de materia impossibili, prædicatum non continetur in idea subjecti, sed repugnat eidem, ut cum dico: *Homo non est equus*. Præterea distinguendæ sunt propositiones enuntiantes quidditatem rei, ab aliis, quæ enuntiant solam existentiam. In primis locum habet Balmesii definitio, non vero in secundis. Sic evidens est animæ meæ existentia, quæ tamen non continetur in ejus idea. Et cum primum quæ-

(1) Loc. cit.

agnoscit divinam existentiam, non eam perspicit in Dei essentia atque idea. Nec prius possumus cognoscere existentiam Dei esse revera de essentia ipsius, quam evidenter cognoscamus aliunde Deum existere; nisi forte quis velit amplecti Cartesianum argumentum ad probandam divinam existentiam, quod tamen communissime rejicitur.

Præterea dantur propositiones evidentes, quæ ideo pro veris admittuntur, quia ex earum negatione evidenter sequuntur evidentiâ absurda. Et in his quoque deficit allata a clarissimo adversario definitio.

Respondeo 2.<sup>o</sup> *nego* Minor. Sive enim evidentiâ sumatur objective sive subjective, ejus connexio cum veritate videtur evidenter patere ex mera terminorum explicatione, ut satis declaravimus in probationibus.

## ARTICULUS III.

## Utrum evidentiâ cogat intellectum ad assensum (1).

78. Nota 1.<sup>o</sup> Duplex est necessitas: altera quoad *specificationem*, altera quoad *exercitium*. Necessitas specificationis seu contrarietatis adest, cum potentia necessitata est ad certam speciem actus ita, ut non possit ponere actum oppositum. Ita voluntas necessitaretur ad amorem alicujus objecti, si non posset illud odio habere: vel e converso. Necessitas vero exercitii seu contradictionis adest, cum potentia ita ad aliquem actum adigitur, ut non possit illum omittere. Hoc

Necessitas  
specificationis  
seu  
contrarietatis,  
et exercitii  
vel contradi-  
ctionis.

(1) De hac materia videri possunt Fonseca, *Meta-ph.*, lib. 6, cap. 1, q. 4, sect. 4; Conimbric., in lib. 1.<sup>um</sup> *Posterior. analyticor.*, cap. 1, q. 4, art. 4; Rub. in lib. 1.<sup>um</sup> *Posterior.* q. 8; Complutens. In *Arist. Dialect.*, disp. 17, q. 4; Francis. Soar. Lusit., *Logic.*, tract. 8, disp. 2, sect. 4, paragr. 5; Hurtad., *de Anima*, disp. 7, sect. 4.<sup>a</sup>; Arriaga, *Log.*, disp. 13, sect. 6; Rhodes, *Philos. Perip.*, lib. 1, disp. 4, quæst. unic. sect. 4, paragr. 3; Quiros, *Log.*, tract. 2, part. 6, disp. 32, sect. 2; Joann. a S. Thoma, *Logic.*, quæst. 24, art. 3; De Benedictis, *Logic.*, lib. 4, q. 1, cap. 5; Mayr., *Philos. Perip.*, part. 1, disp. 6, art. 3, 4; Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 1, cap. 2; Mauri, *Question. philos.*, vol. 1, quæst. 63, *Dico* 3.<sup>o</sup>; Semery, *Trienn. philos.*, vol. 1.<sup>um</sup> disp. 6, q. 1, a. 1 et 2; Pontius, *Logic.*, disp. 20, q. 3; Mastrius, *Logic.*, disp. 11, q. 5.

modo cogitur ad videndum oculus apertus, proposito sibi sufficienti objecto; neque enim potest visionem ponere vel compescere pro lubitu. Utraque hac necessitate beati in caelo Deum amant, quia non modo nequeunt ipsam odisse, verum neque ab amore illo suavissimo cessare. Et huic duplici necessitati e converso duplex libertas respondet.

Quaestio itaque praesens institui potest de duplici hac necessitate; utrum nimirum evidens objectum ita pelliciat ad assensum, ut intellectus nequeat dissentire, vel e converso; et utrum ita ad assentiendum praecise vel dissentiendum determinet, ut, objecto proposito, actum ipsam assensus vel dissensus nequeat suspendere.

De qua evidenti  
agatur. 2.<sup>o</sup> Quaestio intelligenda est de illa evidentiā, quae nullum locum relinquit dubio ac formidini, vel imprudentibus.

3.<sup>o</sup> Itemque de evidentiā tum immediata tum mediata.

79. PROPOSITIO 1.<sup>a</sup> Verum evidenter apprens intellectum necessitat quoad specificationem.

Ita sentit communis auctorum opinio:

Prob. 1.<sup>o</sup> Nequit intellectus amplecti enuntiabile evidenter falsum. Sed si intellectus posset dissentire vero evidenti, amplecteretur enuntiabile evidenter falsum. Ergo...

Minor patet, quia enuntiabile oppositum alteri evidenter vero, evidenter falsum est. Et si primum ut verum cognoscitur, etiam alterum ut falsum cognoscatur, necesse est.

Major patet: α) experientia, quia quantumvis aliquis possit mentiendo negare evidenter vera, vel affirmare evidenter falsa, intus tamen in animo id fieri a nemine posse experimur (1); β) ratione, quia nulla potentia tendit in malum suum, quod nullam habeat boni speciem; secus enim vitio ingenito turparetur, illudque proinde in ipsum Auctorem naturae refundendum foret. Jam vero falsum est malum intellectus, sicut verum est ejusdem bonum; cumque falsum evidens est, nullam potest habere veri speciem. Fieri ergo non potest, ut intellectus falsum evidens, seu evidenter apprens, prout tale amplectatur.

(1) Vide S. Thom., 1.<sup>a</sup> Posterior., lect. 19 post. initium. Cfr. superius dicta n. 49.

Prob. 2.<sup>o</sup> Nequit intellectus quidquam amplecti absque sufficienti motivo. Atqui vero evidenter apprente, nullum potest suppetere motivum ad oppositum assensum. Ergo...

Major patet, quia intellectus est facultas rationalis et cognoscitiva, ideoque cognoscere debet idipsum, quod enuntiat.

Neque dicas, ita quidem se rem habere, si sibi relinquantur intellectus, posse tamen hunc aliquid etiam absque ratione sectari, si nimirum imperium voluntatis accedat.

Respondebo enim imperium voluntatis esse in bonum aliarum potentiarum, quibus imperat. Nequit ergo voluntas intellectum adigere ad aliquem assensum, vel dissensum, pro quo nullam videat rationem. Neque alia est causa, cur non possim, etiam per imperium voluntatis, judicare, v. g. stellas esse pares aut impares, quia nimirum nulla existit ratio alterutrum suadens.

Prob. 3.<sup>o</sup> Intellectus respuere nequit id, in quo nullam videt speciem falsitatis. Atqui in objecto evidenter apprente nulla est species falsitatis. Ergo...

Major. Quia simili modo se habet intellectus circa verum, ac voluntas circa bonum. Voluntas autem refugere nequit bonum purum, in quo nulla apprehenditur ratio mali (1). Ergo idem dicendum de intellectu circa verum, quod nulla obscuratur umbra falsitatis (2). Apposite S. Thomas: *Sicut... voluntas movetur ex necessitate ab objecto, quod est omnifariam bonum, non autem ab objecto, quod potest accipi secundum aliquam rationem ut malum, ita etiam intellectus ex necessitate movetur a vero necessario, quod non potest accipi ut falsum, non autem a vero contingenti, quod potest accipi ut falsum* (3).

Atque haec pariter valent in praemissis probabilibus. Et ratio est, quia qui concedit praemissas, simul virtualiter concedit conclusionem. Ac proinde qui assentiens praemissis, licet probabilibus, negaret conclusionem, duo simul contradictoria saltem virtualiter admitteret. Secus enim tenderet extra proprium objectum: id quod ne per imperium quidem voluntatis facere potest ulla potentia.

(1) Vide S. Thom. 1. 2, q. 10, a. 2; 2.<sup>a</sup> dist. 25, q. 1, a. 2.

(2) Vide S. Thom., de Verit., q. 14 art. 1.

(3) Qq. disp., de Malo, quaest. 6, ad 10.<sup>um</sup>

80. PROPOSITIO 2.<sup>a</sup> Verum evidenter apparens ita necessitat intellectum quoad exercitium, ut non possit voluntas directe impedire assensum, quamvis possit indirecte.

Intellige in primis, quid sit impedire *directe* et *indirecte*. Ille impedit directe aliquam actionem, qui potest efficere, ut causa, positis omnibus ad agendum praequisitis, non agat. Ille autem impedit indirecte, qui facit, ut non ponatur aliquid praequisitum necessarium, quo proinde deficiente, actio fluere nequit.

Propositio est contra P. Antonium Rubio (1), Aversa (2), Quiros (3) et quosdam alios apud ipsum, qui concedunt intellectum evidētia necessari quoad specificationem, negant vero quoad exercitium. At nostra sententia longe communior, pro qua etiam adducuntur S. Thomas, Scotus, et alii antiquiores (4).

Prob. 1.<sup>o</sup> Ea est conditio potentiarum necessariorum, ut positis omnibus ad agendum praequisitis, nequeant actionem cohibere, neque a voluntate directe impediri. Atqui intellectus est potentia necessaria, et vero evidenter apparente, praesto ipsi adsunt omnia praequisita ad agendum. Ergo...

Minor patet, et Major inductione probari potest.

Prob. 2.<sup>o</sup> Simili modo se habet intelligibile evidens respectu intellectus, ac visibile respectu visus. Atqui impossibile est, ut oculus etiam per imperium voluntatis absteineat a visione, cum adest objectum sufficienter propositum et applicatum. Ergo idem dicendum est de intelligibili evidenti.

Et re quidem vera in assensu, qui praestatur objecto evidenti, omnia principia agunt independentē a voluntate. Nam neque intellectus ipse, nec objectum, nec motiva cum suo lumine subsunt voluntatis imperio, ac directo influxui.

Prob. 3.<sup>o</sup> Experientia: Quisque enim testis est ineluctabilis vis, qua intellectus adigitur ad assentiendum cuilibet

(1) 1.<sup>o</sup> *Poster.*, cap. 1, q. 8.

(2) *Logic.*, q. 25, sect. 9.

(3) *Loc. cit.*

(4) Vide eos apud Fonseca, Conimbricenses et alios, locis citatis.

enuntiabili, quod sibi sufficienter propositum et applicatum contemplatur (1).

Porro quod voluntas possit indirecte impedire assensum erga enuntiabile, quantumvis evidens, extra dubium est. Potest enim voluntas *permittere* aut etiam *praecipere*, ut mens ad alia cogitanda divertatur, ne satis objectum evidens consideret. Sic etiam impedit indirecte, ne oculus videat, claudendo illum, vel caput alio convertendo. Ejusmodi vero impedimentum indirectum facilius potest voluntas apponere in evidētia mediata, potissimum si longior et abstrusior sit argumentatio, majoremque postulans mentis attentionem.

Tota hujus propositionis doctrina Angelici Doctoris est: *Attendendum est, inquit, quod actus rationis potest considerari dupliciter: uno modo quantum ad exercitium actus; et sic actus rationis semper imperari potest, sicut cum indicitur alicui, quod attendat, et ratione utatur* (en imperium et subjectionem indirectam). *Alio modo quantum ad objectum, respectu cuius duo actus attenduntur: primo quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat; et hoc non est in potestate nostra, hoc enim contingit per virtutem alicujus hominis vel naturalis vel supernaturalis. Et ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostra, nec imperari potest. Alius autem actus rationis est, dum bis, quae apprehendit, assentitur. Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia; assensus talium vel dissensus non est in nostra potestate, sed in ordine naturae. Et ideo proprie loquendo naturae imperio subjacet. Sunt autem quaedam apprehensa, quae non adeo convincunt intellectum, quin possit assentiri vel dissentire, vel saltem assensum vel dissensum suspendere propter aliquam causam: et in talibus assensus ipse vel dissensus in potestate nostra est, et sub imperio cadit* (2).

Utrum autem haec propositio intelligenda sit etiam de praemissis probabilibus, vide apud Lossada (3), qui affirmative respondet contra P. De Benedictis.

(1) Cfr. de hac materia Conimbric., lib. 1.<sup>o</sup> *Posterior*. In cap. 1, de *Præognitis*, q. 4, a. 2, et *Cursus antiqui* passim in materia de Scientia et de Demonstratione.

(2) 1, 2, q. 17, a. 6.

(3) *Loc. sup. cit.*

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

81. **Objic. 1.<sup>o</sup>** Sicut se habet intellectus respectu veri, ita se habet voluntas respectu boni. Sed nullum est bonum creatum, quod voluntatem necessitet, saltem quoad exercitium. Ergo nec erit ullum objectum creatum, quantumvis evidens, quod intellectum necessitet.

**Resp. dist.** Major; id est, intellectus habet pro objecto verum, et voluntas bonum, *conc.* eodem modo suum quæque respicit objectum hæc duplex potentia, *neg.*

*Transmitto* Minorem, et *neg.* consequent.

Nimirum intellectus est potentia necessaria et voluntas libera, quæ proinde nequeunt omnino æquiparari in tendentia ad suum objectum. Secus enim sicut voluntas potest amplecti evidens malum, ex eo quod sub quadam ratione conveniens sit, v. g. turpis delectatio, vel vindictæ desiderium; ita posset etiam intellectus assentiri objecto evidenter falso, eo quod sub aliqua levi ratione videatur verum.

Cæterum Minor quoque universaliter sumpta non videtur vera: nam ex doctrina S. Thomæ (1) voluntas necessitari potest etiam erga objectum quod licet creatum ac finitum sit, necessario connectitur cum bono increato.

**Obj. 2.<sup>o</sup>** Voluntas potest impedire etiam directe actionem potentiae locomotivæ. Ergo cur non possit etiam actionem potentialium cognoscitivarum?

**Resp. neg. conseq.** Nam paritatem nullam esse in hoc inter potentiam locomotivam et cognoscitivam evidenter probat experientia sensuum nostrorum, quorum actionem certissime impedire nequit voluntas. Et ratio est, quia potentia locomotiva non habet objectum a quo determinetur, unde dirigi debet a voluntate. Potentiæ vero cognoscitivæ propriis objectis determinantur. Accedit, quod locomotiva potentia, nisi a voluntate dirigeretur; sæpe ageret in malum subjecti, quemadmodum accidit lunaticis. Id vero incommodi timendum non est in potentiis cognoscitivis (2). Ideo

(1) 1 p. q. 82, art. 2.

(2) Vide P. Ant. Mayr., *Philos. Perip.* Part. 1, disp. 6, q. 2, a. 4, n. 1001.

solent Philosophi docere voluntatem exercere in potentiam locomotivam imperium tyrannicum ac despoticum, quatenus illam movere possit tam in bonum, quam in malum ejusdem, in potentias vero cognoscitivas imperium dumtaxat politicum ac regale, quod ordinetur ad bonum ipsarum, non vero ad malum.

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Non experimur revera nos necessitari quoad exercitium ad assensum etiam principiorum evidantium. Ergo.....

**Resp. dist.** antec. Si termini propositionis non bene penetrentur, aut si animus alio distrahatur, *conc.*, secus, *neg.* De hac enim experientia testantur plurimi et gravissimi Doctores, qui nostram tuentur doctrinam.

**Instabis.** Sæpe fit, ut quis, concessis præmissis evidentiibus, neget conclusionem evidentem, aut hæreat saltem circa ipsam. Ergo non est vera experientia, quam nos jactamus.

**Resp. dist.** antec. Id fit, quia non adsunt requisita ad assensum conclusionis, *conc.*, secus, *nego.*

In iis enim casibus vel præmissæ non sunt evidentes, nec fluit evidenter conclusio; vel saltem licet omnia sint *in se* evidentiæ, tamen non *apparent talia*, quacumque demum causa id contingat, vel ex defectu ingenii, vel attentionis, vel doctrinæ, vel ex eo quod forma argumenti non sit adeo evidens.

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Si assensus objecti evidentiis non penderet a directo voluntatis imperio in prima sui productione, neque penderet in sui continuatione: eadem quippe militat ratio pro initio actus et pro ejus permanentia in duratione, sunt enim ejusdem speciei. Atqui certissime dependet assensus in continuatione a voluntate, quæ pro lubitu potest facere ut cesset prorsus vel perseveret in aliquo assensu. Ergo...

**Resp. dist.** Major. Si paria supponantur utrobique adjuncta, *conc.*, secus, *neg.*

**Contradist.** Minor. Si paria supponantur adjuncta, *neg.*: si adjuncta mutantur, *conc.* vel *subdist.*; et voluntas tunc imperat aut impedit indirecte continuationem actus, *conc.* directe, *nego.*

Postquam semel intellectus alicui veritati assensus fuit, voluntas non aliter præcipit continuationem aut cessationem illius iudicii, quam divertendo attentionem, vel proponendo